



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio XLIX. De numero & Deitate divinarum Personarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

rem proprie dictam, tanquam primus illius conceptus. Unde in divinis una tantum dicitur esse substantia, seu tres Personae unius substantiae. Hinc S. Thomas I. p. q. 30. a. 1. ad primum sic habet: Nos non consuevimus dicere tres substantias: ne intelligerentur tres essentiae, propter nominis aquivocationem.

S. etiam Augustinus, lib. 5. de Trin. cap. 9. ait: Quia nostra loquendi consuetudo jam obtinuit, ut hoc intelligatur, cum dicimus essentiam, quod intelligimus, cum dicimus substantiam, non audemus dicere, unam essentiam, tres substantias. Hac ille.

DISPUTATIO II.

De numero, & Deitate Divinarum Personarum.

SECTIO PRIMA.

Sintne plures in Deitate Personae.

I. Varii doctorum circa Personarum numerum errores.



VERITAS una, via errandi infinita. Mirum est quot circa Personarum numerum extiterint errores, in quot, inquam, scopulos in immenso hoc pelago varii incaute impigerint, quos operae-premium erit hic referre & retellere, ut inde mylterii hujus veritas clarius illucescat.

II. Iudaei Deum, non ut trinum, sed tantum ut unum colebant.

Mitto vero hic Judaeos, qui Deum passim, non ut in Personis trinum, sed ut unicum tantum colebant; paucissimis autem inter eos pluralitas Personarum innotuit, nec ferè nisi Prophetis, iisque quibus ob vitae sanctimoniam, singularis hac de re è caelo lux est oborta.

III. Praxeas, Noëti, Sabellii, & Hermogenis circa Trinitatem error.

Hic ergo negotium nobis præcipue erit cum hæreticis, qui varii variis temporibus emergentes, huic se mysterio opposuerunt. Praxeas ergo, Noëtus, Sabellius, & Hermogenes, à quibus tanquam sectæ auctoribus, dicti sunt eorum sequaces Praxeani, Noëtiani, Sabelliani, & Hermogeniani: hi, inquam, Trinitatem Personarum in unam planè confundebant, sicque Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, eandem omnino esse Personam dictitabant: Sabellius verò peculiariter esse tantum tria diversa nomina ejusdem Personæ. Praxeas itaque & Sabellius Patrem Omnipotentem dicebant esse Jesum Christum, & pro nobis crucifixum & passum: à quibus proinde Patripassiana hæresis duxit originem.

IV. Montanista etiam aliqui in eodem fuerunt errore.

In hoc etiam errore negantium Trinitatem fuerunt nonnulli Montanista, qui, ut ait S. Hieronymus: Trinitatem in unius persone angustias cogebant. Montanus tamen ipse, licet in aliis erraverit, circa Trinitatem tamen nihil ab Ecclesiâ Catholicâ diversum sensisse videtur. Idem tenuisse videtur Paulus Samosatenus Episcopus, Photinus Sirmienfis Episcopus, & alii. Quam hæresim dudum jam sepultam, ab inferis denuo suscitavit Michaël quidam Servetus natione Hispanus, eâ de causâ Genevæ anno 1555. instigante Calvino, publicè combustus, ut refert Tannerus hic, q. 1. dub. 3.

V. Secundus error, eorum est, qui Trinitatem oppugnant in dicitur.

Hi directè Trinitatem impugnant: alii verò idem præstiterunt indirectè, nunc scilicet hujus, nunc illius Personæ divinitatem negantes: & in hoc prioribus erant oppositi, quòd Sabellius & alii supra positi, ut vidimus, in divinis confunderent Personas, unicam nimirum statuentes, hi verò dividebant substantias, & ita tres asserabant esse in Trinitate Personas, ut tres pariter ibidem

ponerent essentias.

Præcipuus hac in re fuit Arius, Presbyter Alexandrinus, qui Filium non ejusdem cum Patre substantiæ esse dicebat, sed creaturam; & tantundem asserbat de Spiritu Sancto. Idem de Filio & Spiritu Sancto docebat Eunomius; & de Spiritu Sancto Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, quem ajebat, non verum, sed peregrinum, & adscriptitium Deum esse. Pulchrè verò hanc Arianorum hæresim describit S. Augustinus tom. 6. lib. de Heræsis, hæresi 49. Nolunt, inquit, Ariani Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse unius ejusdemque substantiæ, seu essentiae, sed esse Filium creaturam, Spiritum verò Sanctum creaturam creaturam, hoc est, ab ipso Filio creatum volunt; in eo autem quòd Christum sine animâ solam carnem suscepisse arbitrantur, minus noti sunt, sed hoc verum esse, & Epiphanius non tacuit, & ego ex eorum quibusdam scriptis, & colloctionibus certissime comperi. Hac S. Augustinus.

Hanc Arii hæresim hoc nostro sæculo renovavit Valentinus Gentilis Italus, qui cum cam Genevæ recantasset, in eandem tamen postea relapsus, eâ de causâ Bernæ capite plexus est. Ab hoc originem duxit nova secta Trinitariorum, qui Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, inter se non esse aequales asserbant, sed Patrem cæteris longè excellentiorem: Unde ab iisdem Pater dicebatur essentiatior, alii duo essentiatii: quæ fusiùs prosequitur Bellarminus tom. 1. controv. 2. libro primo, cap. primo.

De eadem hæresi contra Trinitatem, meritò suspecti sunt nostri temporis Sectarii, qui quamvis expressis verbis hoc non asserant, ea tamen dicunt, quæ indirectè eò tendere videntur, ut Filium in naturâ Patri inferiorem esse ostendant. Imò Lutherus hoc directè affirmare videtur, dum & vocem *υποδοξος* rejicit, & hunc versiculum Sancta Trinitas unus Deus miserere nobis, ut Disp. præcedente sect. 1. num. 2. vidimus, ex Ecclesiæ precibus expunxit.

His ut in aliis plerisque, ita & in hoc facem prætulit Erasmus, qui errorem hunc Arianorum ait non esse hæresim, sed tantum schisma. Deinde verba illa Christi Joan. 10. v. 30. Ego & Pater unum sumus, non de unitate naturæ, sed de concordia voluntatis, cum Arianis explicat. Præterea in præfatione ad libros Hilarii. Audemus, inquit, Spiritum Sanctum DEVM appellare; quod veteres non sunt ausi: & alia hujusmodi, quæ arguunt hominem profanum, quicquid fenderit, parum cautè & catholicè esse locutum. Plura hujuscemodî Erasmi dicta refert Valentia hæc, disp. 2. q. 1. p. 1. §. 9. & alii.

Contra

IX. Datur in Deo Trinitas Personarum.

Contra hos omnes errores veritas Catholica est, in Deo non unam tantum, sed plures dari Personas divinas. Hoc probatur imprimis ex illo Matth. ultimo, v. 19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* De his etiam dicit S. Joan. ep. 1. cap. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, & Verbum, & Spiritus Sanctus.* Alia ad hanc veritatem probandam afferentur in sequentibus.

SECTIO SECUNDA.

Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Divinitas ostenditur.

I. Non hic agitur cum Atheis.

NON hic nobis controversia est cum Atheis, hi enim cum existere verum Deum negent, eadem opera Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, veram in se habere divinitatem negabunt. Cum iis ergo solis hic agimus, qui admittunt Scripturam, Judæis scilicet & hæreticis, variisque adductis testimoniis, trium Personarum divinitatem ostendimus.

II. Patris divinitatem nullus, vel Judæus, vel hæreticus negavit.

Ad Patrem ergo quod attinet, nullus, vel Judæus, vel hæreticus, cum qui in sacra Scriptura Deus Pater appellatur, negat esse verè & propriè Deum; licet Valentinus ille, de quo sect. præcedente, num. 7. cum negaverit esse Personam. Probatur tamen imprimis ex illo Malachia 2. v. 10. *Nunquid non Pater unus omnium nostrum? nunquid non Deus unus creavit nos?* Item Psalmo 88. v. 26. *Ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis mea.* In novo autem testamento, Joan. 8. v. 54. dicit Christus: *Est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est.* Deinde Joan. 20. v. 17. dicit similiter Christus: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum, & Deum vestrum.* Præterea 2. ad Corin. 1. v. 3. ait Apostolus: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi &c.* Sed quia hac de re, ut dixi nemo dubitat, diutiùs ejus probationi non insistam.

III. Contra multorum oppugnationes dicitur Filius declaratur.

Quoad secundum itaque: divinitatem scilicet Filii, eam acriter impugnaverunt Judæi, & Ariani, tum antiqui, tum novi. Sed probatur ex illo Genes. 1. v. 26. ubi dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ubi verbum faciamus, plures à quibus homo faciendus esset indicat. Quare Concilium Sardicense can. 13. *Siquis, inquit, quod scriptum est, faciamus hominem, non Patrem ad Filium dicere, sed ipsum ad seipsum asserit dixisse Deum, anathema sit.* Ibidem etiam, can. 15. definit de Patre & Filio intelligendum esse illud Genes. 19. v. 24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrhæam sulphur, & ignem à Domino de celo.* Quamvis autem hoc Concilium, in omnibus non sit approbatum, hi tamen illius canones nunquam sunt reprobati. S. etiam Hilarius, in libro de Synodis utrumque hujus canonem refert, & approbat. Imò Concilium Nicenum primum verbis illis Genes. 1. *Faciamus hominem,* denotari ait trium Personarum divinitatem. Alia ad hoc probandum afferri solent ex veteri testamento, quæ hic brevitate causâ omitto.

IV. In novo Testamento loci Filii divinitatis ostenduntur.

In novo autem testamento plurima sunt Scripturæ loca, quæ Filii divinitatem ostendunt: Illud imprimis Joan. 1. v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per

ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est &c. Quæ verba peculiariter scripsit S. Joannes ad probandam Christi divinitatem, contra aliquos tunc temporis illam negantes. Joannis etiam 20. v. 28. *Respondit Thomas, & dixit ei, Domine meus, & Deus meus.* Ad Romanos 9. v. 5. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Ep. 1. Joan. cap. 5. v. 20. *Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus.* Hic est verus Deus, & vita æterna. Quod testimonium, ad finem hic à nobis intentum, est efficacissimum: quamvis Erasmus, qui, ut ait Vasquez 1. p. disp. 109. cap. 2. num. 13. omnia fidei nostre fundamenta clanculum evertere moliebatur, peregrinam & exoticam illius interpretationem ex suo cerebro confinxerit.

Infirmus, & perniciosis Erasmi conatus.

Denique hoc idem probatur Pontificum, Conciliorum, ac Patrum testimoniis, qui uno ore Christi divinitatem contra Arianos testantur, idque ita constanter, & nemine, vel leviter de ea dubitante, ut eos recensere, omnino sit superfluum. Videatur Valentia hic, disp. 2. q. 1. p. 1. §. 11. Vasquez 1. p. disp. 109. Tannerus hic, Disp. 4. q. 1. dub. 3. & alii, qui hæc fusissimè prosequuntur.

V. Conciliorum ac Patrum auctoritate probatur Filii divinitas.

Tertia etiam Trinitatis Persona, nempe Spiritus Sanctus, est verus Deus. Hæc etiam veritas est fide certa contra Arianos, Eunomianos, & Macedonianos, Spiritus Sancti divinitatem negantes. Probatur primò ex illo 2. Reg. cap. 23. v. 2. ubi dicit David: *Spiritus Domini locutus est per me, & sermo ejus per linguam meam, dixit Deus Israel mihi &c.* Item Actorum 5. v. 3. dicit Divus Petrus: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? &c.* & infra: *Non es mentis hominibus, sed Deo.* Plura Scripturæ testimonia ad hoc probandū videantur apud Auctores proxime citatos.

VI. Divinitas etiam Spiritus Sancti declaratur.

SECTIO TERTIA.

Solvuntur argumenta hæreticorum contra Filii & Spiritus Sancti divinitatem.

OBJICIUNT hæretici primò, Christum se nunquam appellasse Deum. Respondetur Christum se Deum sæpiùs vocasse: ut Joan. 10. v. 30. *Ego, & Pater unum sumus.* Item Joan. 14. v. 1. *Creditis in Deum, & in me credite:* utpote qui sum Deus. Joan. etiam 3: vocat se unigenitum Filium Dei. Præterea calumniabantur eum Judæi, quòd homo cum esset, se faceret Deum, & æqualem Deo.

I. Christus se Deum sæpiùs appellavit.

Objiciunt secundò Ariani verba illa Joan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Respondetur cum S. Athanasio in Disp. illâ cum Ario, S. Nazian. Basilio contra Eunomium, & aliis, Patrem esse verè ac propriè solum verum Deum, id est non esse alium verum Deum præter ipsum, alii enim omnes Dii sunt Dii falsi. Hinc tamen non sequitur Filium non esse verum Deum, sed non esse alium Deum à Patre, at eundem verum Deum cum illo. Unde & S. Joan. ep. 1. cap. 5. tre. v. 20. de Christo dicit: *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Et eodem modo responderi debet, si hic

II. Quo sensu Deus Pater dicatur solus verus Deus.

Filius est verus Deus, sed non alius Deus à Patre.

Scripturæ

Scripturæ locus urgeatur contra Spiritum Sanctum.

III. Objiciunt iidem tertio illud 1. ad Tim. 6. v. 15. *Vsq̄ ad adventum Domini nostri IESU-CHRISTI, quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium.* Respondetur, hoc dictum Apostoli nihil facere contra divinitatem Filii; hic enim nulla fit peculiariter mentio de Patre. Tota ergo Trinitas, est quæ hic dicitur *Solus potens, Rex Regum, &c.* tota enim Trinitas Christum suo tempore in gloria ostendet.

IV. Objiciunt quarto: Filius omnia non novit, dicitur enim Math. 11. v. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater, ergo non est Deus.* Contra: additur ibidem, *Neque Patrem quis novit, nisi Filius, ergo nec Pater est Deus.* Hoc ergo, inquit in hunc locum S. Augustinus, non eget explicatione. Sermo ergo illic est de creaturis; unde ibidem additur: *Et cui voluerit Filius revelare.* Dum verò Marci 13. dicitur Christus nescire diem iudicii: primo hoc de eo dicitur, ut homine. Deinde, etiam ut homo diem illum noverat, sed acceperat sub secreto, ut scilicet aliis eum non revelaret.

V. Objiciunt quinto illud Joan. 14. v. 28. *Pater major me est.* Respondetur cum S. Ambrosio, S. Augustino, & Interpretibus communiter, sermonem ibi esse de Christo ut homine. Verum quidem est quosdam Patres Græcos, ut S. Athanasium, S. Basilium, S. Nazianz. & alios, hæc verba de Filio, etiam ut Deo intelligere, sed aliam majoritatem in Patre non agnoscunt, quam appellationem Patris, quæ quandam dignitatem sonat, & ideo præcisè majorem esse volunt, quia est prior origine. Unde ex Latinis S. Hilarius lib. de Trin. ait, ita Patrem vocari majorem, ut tamen Filius non sit minor. Et eodem modo intelligenda sunt alia locutiones Scripturæ, quæ inferioritatem præ se ferunt, ut dum Christus dicitur obediens, subjectus &c. nempe quoad humanitatem.

VI. Objiciunt sexto id quod habetur Prover. 8. v. 22. *Domini creavit me &c.* Et Ecclesiastici 24. v. 12. *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo: & v. 14. additur: Ab initio, & ante sæcula creata sum.* Quæ de Christo ut homine videntur intelligi non posse. Respondetur tamen, hæc & similia verba à multis ex Sanctis Patribus intelli-

de Christo ut homine, qui scilicet secundum humanitatem verè creatus est, diciturque ante omnem creaturam creatus, primogenitus omnis creatura &c. quia in mente divinâ primò fuit, & principaliter intentus. Deinde lectio magis probata ab Ecclesiâ est, *Domini possedit me &c.* Tandem Verbum creavit non sumitur rigorosè, sed prout idem sonat ac genuit, seu produxit: & idem est de aliis Scripturæ locis, sicubi hæc vox æternæ sapientiæ applicari videtur.

Contra divinitatem Spiritus Sancti objicitur septimò illud Joan. 1. v. 3. *Omnia per ipsum (hoc est per Verbum) facta sunt:* ergo Spiritus Sanctus non est Deus; Deus enim non est factus. Sed contra: si enim particula *Omnia* ita latè sumenda sit, ut quicquid existit, per Verbum factum sit, ergo & Pater factus est per Verbum, sicque non erit Deus. Respondetur itaque, illa omnia per Verbum facta esse, quæ effectiois sunt capacia, qualis nec Pater est, nec Spiritus Sanctus.

Objicitur octavo illud ad Roman. 8. v. 26. *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus;* ergo inquit Spiritus non est Deus; dolor siquidem, & gemitus in Deum non cadunt. Sed contra, si Spiritus sit Deus, si non, certum apud omnes est, eum esse perfectè beatum; ergo nec doloris, nec gemitus est capax. Respondetur itaque, vel ibi non esse sermonem de Spiritu Sancto, sed de Spiritu orationis & compunctionis, à Spiritu Sancto nobis immisso, ut exponit Sanctus Chrysost. homil. 14. ad Roman. & alii: Vel sensus est, ut ait S. Augustinus, S. Nazian. & alii Spiritum Sanctum hoc modo postulare activè; id est facit nos postulare gemitibus inenarrabilibus. Eodem ferè recidit utraque explicatio.

Denique, etsi Pater sit Sanctus Spiritus, & Filius similiter, cum & Sancti sint, & Spiritus; hæc tamen vox, prout ab Ecclesiâ usurpatur, Personam denotat à Patre & Filio distinctam. Imò in Scripturâ Sacrà nominatur Spiritus Sanctus ut Persona à Patre & Filio distincta: *Baptizantes eos ficit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* Matthæi ultimo, v. 19. Concludo itaque cum S. Cyrillo Alexandrino lib. 3. Theauri, cap. 2. *Quomodo non erunt impietatis rei, qui inter creaturas audent Spiritum Sanctum collocare.*

Multis de verbis hæc verba intellegunt de Christo ut homine.

VII. Quomodo capiendum Omnia per ipsum facta sunt.

VIII. Quomodo Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

IX. Vox Spiritus Sanctus peculiariter tertiam Personam significat.

